



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Engelbertvs Ep. M. 7. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. ENGELBERTVS EP. M.

7. Novembris.

CVnas, vitam, mortem, omnia in
ENGELBERTO præclara reperio,
 & digna infulâ Coloniensi, quam ille
 uti & libertatem Ecclesiæ etiam contra
 cognatum sanguinem (audiant utinam
 hæc illi, qui Christi patrimonia sua pu-
 tant & in suos effundunt!) toto pecto-
 re propugnavit, ipsique adeò vitæ ante-
 habuit. Neque enim alia ulla fuit cau-
 sa Friderico Isenburghensi Comiti &
 patrono **ENGELBERTI**, cur sub an-
 num millesimum, ducentessimum &
 vigesimum quintum, immissis sicariis
 ex itinere nepotem obtruncaret, parric-
 idio rot sceleribus, quot vulneribus
 pleno, quæ quadraginta & septem erât.
 Nec verò minùs piè, quàm fortiter est
 mortuus **ENGELBERTVS**. Nam, ut
 taceam **VIRGINEM** solemnè omni-
 bus diebus Mercurii jejuniò cultam,
 monitus per literas de infidiis animum
 quidem confessione purgavit & lacri-
 mis expiavit, cæterùm ut ne hostem
 proderet, igni literas damnavit. Fride-
 ricum deinde, cum jam parturiret ulti-
 mum scelus, hospitio non semel cum
 suis excepit, neque comitem habere
 via abhorruit, utque malus Genius ex
 ore alieno palàm fassus est, moriens
 Christo Christi verbi s pro hostibus suis
 sup-

supplicavit, facultatem ob id nactus mira (quæ innumera sunt) patrandi. Sub idem ferè tempus lunæ geminam alteram lunam cœnobita vidit gladio insignem, ne dubitaret orbis, sideribus novum sidus ENGELBERTVM additum. *Ex Surio.*

S. GODEFRIDVS EPISC.

8. Novembris.

Cœpit GODEFRIDVS in tempore (quinguennis utpote) ad sanctitatem inter cœnobitas conniti, Musis juxta & pietate succollantibus. Anno ætatis XXVI. Abbas, inde Pont. Ambianensis mirum est quàm benignum se miseris exhibuerit, tredecim quotidie de his epulo solitus excipere, ablutis suâ manu eorum pedibus; nihil utique alienum à summâ dignitate existimans, facere, quod prior Pont. Max, Christus fecisset. Et fortè bene magnum, & qui culinæ unicus superabat, piscem inde ipse asportaverat, donum leprosis stipem rogantibus. Ei rei cùm absens tunc succenseret postea Oeconomus, illud modò respondit GODEFRIDVS: *etiam atq; etiam videret, illène abundaret, an pauper Christus esuriret rectius?* Et verò ut hunc regeret, non dubitavit suis laciniis summâ hyeme se spoliare, & mendicabulum his ditare, ipse contra frigora hâc unâ cha-